



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Ab Innocentio XI. Ad Innocentium XII.

Luxemburgi, MDCCXLI.

25. Injuncti nobis &c. Diversæ Ordinationes pro Provinciæ Nationis Ordinis
Fratrum Minorum S. Francisci tàm de Observantia, quam Recollectorum
respectivè nuncupatorum, Intuitu obedientiæ ab eis nuper ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74849](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74849)

dis, necnon aliis quibuscunque Apostolicis, ac etiam in Generalibus Conciliis editis, & edendis Constitutionibus, Ordinationibus, ac Urbis, & Curiae Romanae, & Camerae Apostolicae, ejusdemque Curiae Tribunalium, quarumcumque Ecclesiarum, etiam Patriarchalium S. Joannis in Laterano, Principis Apostolorum, & S. Mariae Majoris, Monasteriorum, Hospitalium, Locorum piorum, necnon Ordinum, Congregationum, & Societatum, etiam Jesu, & quibuscunque aliis, etiam iuramento, vel alia quavis firmitate roboratis statutis, usibus, styliis, consuetudinibus, & decretis, etiam novis reformationibus quibuscunque, legibus, & canonibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis, sub quibuscunque verborum tenoribus, & formis, & cum quibuscunque derogationum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, & decretis in genere, vel in specie, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, vel ad quorumvis instantiam, ac etiam consistorialiter, aut aliis quomodolibet per Nos, & Romanos Pontifices Praedecessores Nostros in contrarium eorumdem praemissorum concessis, ac etiam pluries confirmatis, innovatis, & approbatis, quibus omnibus, & singulis, etiam pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, exprimerentur, & infererentur, iisdem praesentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & inferentibus habentes, illis aliis in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum harum serie specialiter, & expresse, motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus, specialiter, & expresse derogamus, & derogatum esse volumus, & mandamus, nec non omnibus illis, quae iidem Praedecessores Nostri in praemissis quibuscunque eorum Litteris, & Chirographis voluerunt non ob stare, caeterisque contrariis quibuscunque.

Affixio
vim ha-
beat im-
personalis.

§. 26. Volumus autem, quod postquam praesentes valvis Ecclesiae Lateranensis, & Basilicae Principis Apostolorum, & in Acie Campi Florae de Urbe per aliquem ex Nostri Curforibus affixae, & publicatae fuerint, omnes, & singulos tam in Urbe, quam in Districtu, & Ditione praefatis existentes, perinde obligent, & arceant, ac si unicuique eorum personaliter, & nominatim intimatae fuissent; Quodque earum transumptis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personae in Dignitate Ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra adhibeatur, quae iisdem praesentibus, si exhibitae, vel ostensae fuissent, adhiberetur.

Fides
Transum-
ptorum.

Sanctio
poenalis.

§. 27. Nulli ergo omnino hominum liceat, paginam hanc Nostrarum approbationis, confirmationis, innovationis, voluntatum, mandatorum, decretorum, suppressionum, abolitionum, abrogationum, praeservationum, concessionum, declarationum, separationum, restitutionum, unionum, annexionum, incorporationum, revocationis, cassationis, annulationis, Constitutionis, assignationis, derogationis, aliorumque praemissorum infringere, seu ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

28. No-
vemb.
1692. P.
A. 2.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae millesimo sexcentesimo nonagesimo secundo, quarto Ka-

lend. Decembris Pontificatus Nostri Anno se-
cundo.

J. F. CARD. ALBANUS.

B. Card. Prodatarius

Visa de Curia J. Sacripantes.

Loco † plumbi

D. Ciampinus.

Registrata in Secret. Brevium.

Anno à navitate D. Nostri Jesu Christi millesimo sexcentesimo nonagesimo secundo, Indictione decima quinta, die vero vigesima octava Novembris, Pontificatus autem sanctissimi in Christo Patris & Domini Nostri, Domini Innocentii Divina providentia Papa XII. Anno secundo supradicta Constitutio affixa, & publicata fuit ad valvas Ecclesiae S. Joannis Lateranensis, Basilicae Principis Apostolorum, & Cancellaria Apostolica, in Acie Campi Florae, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis, per me Antonium Canutum ejusdem Sanctissimi Domini Nostri Papae Cursores.

JO. GRECUS Curs. Magister.

Diversae Ordinationes pro Provincia Nationis Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci tam de Observantia, quam Recollectorum respectivè nuncupatorum. Intuitu obedientiae ab eis nuper praestitae Ministro Generali dicti Ordinis.

XXXIV.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

INjuncti Nobis celsitis Pastoralis Officii sollicitudo Nos admonet, ut paternam Christi fidelium, divinis obsequiis sub arctioris vitae instituto laudabiliter incumbendum, curam gerentes, eos in pace, & justitia continere, ac enata inter ipsos animorum dissidia, ne amabilis concordiae, fraternaeque charitatis serenitatem diutius conturbent, opportunis rationibus recidere, nec non illorum statui, & quieti, quantum Nobis ex alto conceditur, consulere studeamus.

Proemi-
um.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Ludovicus Duval, & Claudius Bonaventura Sicault, nec non Edmundus Godelle, & Salvianus Paquin Procuratores, seu Deputati Provinciarum Nationis Gallicae Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci tam de Observantia, quam Recollectorum respectivè nuncupatorum, quod cum alias, videlicet anno MDCLXXXVIII. tunc existentes Vocales ejusdem Nationis Electionibus, aliisque in Capitulo Generali dicti Ordinis in hac Alma Urbe celebrato actis, ob sibi tunc denegatam ad Generalatum, aliaque Officia generalia ejusdem Ordinis, quam praetendebant, Alternativam, interesse recusaverint, eaque de causa à Capitulo Generali praedicto recesserint: Ipsum vero Capitulum Generale ad electionem trium Definitorum Generalium pro praedicta Natione, caeteroqui eligi solitorum, minime devenerit; abinde omnes, & singulae personae utriusque sexus Provinciarum hujusmodi obedientiam tum existenti in memorato Capitulo Generali electo, ac subinde dilecto filio moderno Ministris Generalibus ejusdem Ordinis nullatenus hucusque praestiterunt.

Narratur
causa di-
fcessus à
Capitulo
Generalis.

§. 2. Cum autem, sicut eadem expositio sub-
jungebat, jam nunc personae hujusmodi unionem spiritus in vinculo pacis servare cupentes, tam eidem moderno, quam ejus pro tempore Successoribus Ministris Generalibus dicti Ordinis canonice eligendis debitam obedientiam, juxta Apostolicarum, & ipsius Ordinis Constitutionum praescriptum, praestare, dictumque Capitu-

Oblatio
redeundi
ad unio-
nem, &
obedien-
tiam.

lum

lum Generale pro ritè, & canonicè celebrato habere paratæ sint; quinimò ipsi Exponentes earumdem Personarum nomine obedientiam huiusmodi jam præstiterint, seque supradictum Capitulum Generale pro ritè, & canonicè celebrato habere declaraverint; Verùm præmissa, atque inde secuta, quò dictarum Provinciarum religiosæ tranquillitati plenè provisum sit, Apostolicum paternæ providentiæ Nostre præsidium exposcant: Nobis propterea Exponentes præfati humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportunè providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignemur.

Absolutio
ad effectū.

§. 3. Nos igitur, qui Ordinem præfatum in visceribus gerimus charitatis, perturbationibus, & incommodis, quæ præmissorum occasione in dies oriri possent, maturè occurrere, & opportunum jam exortis remedium adhibere cupientes, ipsosque Exponentes, & alios infrascriptos dicti Ordinis Professores specialis favore gratiæ prosequi volentes, ac eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, nec non causæ, & controversiæ super alternativa præfata statum, & merita, nominaque, & cognomina, ac qualitates Judicum, & Colligantium, seu Contententium quorumcunque, & alia quælibet, etiam specificam, & individuum mentionem, & expressionem requirentia, præsentibus, pro plenè, & sufficienter expressis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ac audita super præmissis Dilectorum Filiorum Procuratoris Generalis, ac aliorum Superiorum utriusque familiæ dicti Ordinis, quos desuper audiendos duximus, relatione, causam, & controversiam præfatas in statu, & terminis, id quibus de præfati quomodolibet reperiuntur, tam à dicto Capitulo Generali, quam ab aliis quibuscunque Judicibus, & Tribunalibus, ad Nos, & Sedem Apostolicam, prout juris fuerit, terminandas, auctoritate Apostolica tenore præsentium avocamus. Porro cum iidem Exponentes dictarum Provinciarum nomine etiam insisterint, ut Quartum Definitorum Generalem Fratribus Recollectis Provinciarum huiusmodi addere, & deputare vellemus, Nobis similiter, & Sedi præfate facultatem statuendi hac in re quicquid in Domino expedire censuerimus, harum serie referimus.

Inhibitio
omnibus
aliis.

§. 4. Ac proinde omnibus, & singulis Nationis, & Ordinis præfatorum Superioribus, Fratribus, & personis, ne tam conjunctim, quam divisim in præmissis, vel eorum aliquo directè, vel indirectè, aut alias quomodolibet quicquam innovare, vel attentare audeant quovis modo, seu præsumant, districtè inhibemus, illisque præcipimus, & mandamus, ut à quibusvis attentatis, seu innovatis huiusmodi humiliter abstineant, donec à suprema Nostre, & ejusdem Sedis æquitate habeant Justitiæ complementum.

Agens ista-
rum Pro-
vinciarum
quomodo
deputan-
dus.

§. 5. Præterea, ut de cætero ad munus Agentis, seu Negotorum Gestoris, quem Provinciæ præfate in Romana Curia habere consueverunt, quoties illud vacare contigerit, is tantummodo assumatur, quem pro tempore existens Minister Generalis dicti Ordinis ex tribus Religiosis sibi ad id per Superiores pro tempore pariter existentes earumdem Provinciarum præsentandis idoneitate, & meritis præstantiorem esse judicaverit, auctoritate, & tenore præfatis statuimus, & ordinamus.

Absolutio
postquam
præstite-
rint obe-
dientiam.

§. 6. Cæterum omnes, & singulas Personas utriusque sexus Provinciarum, & Nationis huiusmodi, quæ post celebrationem dicti Capituli Generalis obedientiam pro tempore existentibus Ministris Generalibus ejusdem Ordinis, sicut præmittitur, hætenus non præstiterunt, ex nunc,

prout ex tunc, postquam obedientiam huiusmodi à dictis exponentibus illarum nomine præstitam, ac declarationem circa memoratum Capitulum Generale ab eis factam, ut præfertur, realiter, & cum effectu ratificaverint, à censuris quibuslibet, si quas propter præmissa quomodolibet incurrerunt, seu incurrisse dici, censi, vel prætendi possent, eadem auctoritate harum serie in utroque foro absolvimus, & totaliter liberamus. At cum illis ex Fratribus Provinciarum, & Nationis præfatarum, qui censuris huiusmodi, si quas, propter eadem præmissa incurrerunt, innodati Sacrosanctum Missæ Sacrificium (non tamen in contemptum Clavium) celebraverint, seu alias in suis Ordinibus ministrarunt, super irregularitate per eos quomodolibet inde contracta, ita ut illa, iisdem præmissis non obstantibus, dummodo nullum aliud Canonicum eis obster impedimentum, Clericali charactere, quo alias ritè insigniti fuerunt, illiusque Privilegiis, ac susceptis per eos pariter ritè quatuor Minoribus, nec non Sacris Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus Ordinibus uti, & quatenus illos nondum susceperint, ad eos, si ad id idonei reperiantur, servatis aliis servandis, promoveri, & promoti in illis, etiam in Altaris Ministerio, ministrare liberè, & licitè possint, & valeant, in utroque pariter foro dispensamus.

§. 7. Personas itidem supradictas, & earum quamlibet, si quam propter eadem præmissa privationis vocis activæ, & passivæ penam incurrerunt, ad vocem activam, & passivam huiusmodi adversus præmissa opportunè rehabilitamus, illasque in integrum, & pristinum, ac eum, in quo antea quomodolibet erant, statum, restitui-
mus, reponimus, & plenariè reintegramus. Omnes insuper, & singulos tam Capitulares, quam Definitoriales, & alios quoslibet, tam judiciales, quam extrajudiciales actus, & functiones in supradicto rerum statu, alias tamen legitime, per quoscunque Superiores, Fratres, & Personas dicti Ordinis in memoratis Provinciis, earumque, & aliis quarumcunque Civitatum, Terrarum, & locorum Chatissimo in Christo Filio Nostro Ludovico Francorum Regi Christianissimo subsectorum Conventibus, Monasteriis, ac Domibus Regularibus tam Virorum, quam Mulierum ejusdem Ordinis hætenus gestos, & factas respectivè cum omnibus inde, cæteroqui pariter legitime secutis, dicta auctoritate earundem tenore præsentium validamus, & confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos juris, & facti defectus, etiam substantiales, si qui desuper propter præmissa quomodolibet interveni-
erunt seu intervenisse dici, censi, vel prætendi possent, sanamus, & supplemus.

Convali-
datio ge-
storum du-
rante ino-
bedientia.

§. 8. Ne autem Natio prædicta tribus Definitoribus Generalibus pro ea hætenus, sicut præmittitur, eligi solitis diutius destituta remaneat, Dilectos Filios Guglielmum Beccard, & Nicolaum Potin de Observantia, ac Hyacinthum le Febvre Recollectorum respectivè Fratrum Nationis, & Ordinis huiusmodi Professores, de quorum fide, prudentia, rerum agendarum usu, pietate, integritate, charitate, & Religionis zelo plenam in Domino fiduciam habemus, præfati Ordinis Definitorum Generales pro memorata Natione Gallica usque ad proximè futurum Capitulum Generale ejusdem Ordinis duraturos, cum omnibus, & singulis præeminentiis, prærogativis, facultatibus, auctoritate, privilegiis, gratiis, & Indultis, ac honoribus, & oneribus solitis, & consuetis, ita ut ipsi Officia Definitorum Generalium huiusmodi usque ad idem proximè futurum Capitulum Generale gerere, & exercere liberè, licitè, & valide possint, & valeant in omnibus, & per omnia, perinde, ac si ad illa in Capitulo Generali dicti Ordinis de pleno Vocalium consensu, servatisque omnibus servandis, canonicè electi fuissent, eadem

Deputatio
tribus De-
finitorum
usque ad
futurum
Capitulum
Generale.

Decreta
roborantia
cum clau-
sula subla-
ta, ac de-
creto irri-
tanti.

autoritate harum serie creamus, facimus, ac con-
stituimus, & deputamus.

§. 9. Decernentes easdem praesentes Literas
semper firmas, validas, & efficaces existere, &
fore, suosque plenarios, & integros effectus sorti-
ri, & obtinere, ac illis, ad quos, & quas spe-
ctat, & pro tempore quodcumque spectabit in
omnibus, & per omnia plenissime suffragari, &
ab eis respective inviolabiliter, & inconcussè ob-
servari, & adimpleri; Sicque, & non aliter in
praemissis per quoscunque Judices Ordinarios, &
Delegatos, etiam Caesarum Palatii Apostolici Au-
ditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Le-
gatos, & dictae Sedis Nuncios, & alios quoslibet
quacunque praerogativa, & potestate fungentes,
& futuros, sublata eis, & eorum cuilibet qua-
vis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, &
autoritate, iudicari, & definiri debere; Ac irritum
& inane, si secus super his à quoquam quavis au-
toritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Deroga-
tiones.

§. 10. Non obstantibus praemissis, ac Constitu-
tionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon
quatenus opus sit, praefatorum Ordinis, Nationis,
Provinciarum, Conventuum, Monasteriorum,
& Domorum Regularium, aliisque quibuscunque
juramento, & confirmatione Apostolica, aut qua-
vis firmitate alia roboratis Statutis, & Consuetu-
dinibus, Privilegiis quoque, Indultis, & Litteris
Apostolicis illis, eorumque Superioribus, & per-
sonis quibuscunque, sub quibuscunque verborum tenori-
bus, & formis, ac cum quibuscunque etiam derogato-
riam derogatoriis, aliisque efficacioribus, & inso-
litis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in
genere, vel in specie, etiam Consistorialiter, & alias
quomodolibet in contrarium praemissorum concessis,
confirmatis, ac pluries innovatis. Quibus omnibus, &
singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione
de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifi-
ca, & individua, & expressa, ac de verbo ad
verbum, non autem per clausulas generales idem
importantes, mentio, seu quaevis alia expressio
habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc
servanda foret, illorum omnium, & singulorum
tenores, formas, causas, & occasiones praesenti-
bus pro plenè, & sufficienter expressis, insertis,
& specificatis respective habentes, illis aliis in suo
robore permanentibus, ad praemissorum effectum
hac vice dumtaxat specialiter, & expresse déro-
gamus, & derogatum esse volumus, ceterisque
contrariis quibuscunque.

Obligatio
ratificandi
& continu-
andi in obedi-
entia.

§. 11. Volumus autem, ut intra quatuor men-
ses proximos nomine quarumcunque Personarum
Nationis, Provinciarum, Conventuum, Mona-
steriorum, ac Domorum Regularium huiusmodi
Dilecti Filii Superiores earundem Provinciarum,
seu alii, ad quos spectat, debitam subjectionem,
& obedientiam, juxta Apostolicas, ac Ordinis hu-
iusmodi Constitutiones, eidem Moderno, ejusque
pro tempore Successoribus Ministris Generalibus
canonice eligendis à supradictis Exponentibus praes-
titam, ac declarationem circa proximè praeteritum
Capitulum Generale praefatum ab eis factam, ut
praefertur, realiter, & cum effectu ratificare, nec-
non in subjectione, & obedientia huiusmodi sine-
rè in posterum permanere, praesentiumque Litterarum
dispositioni in omnibus, & per omnia acquiescere
omnino teneantur; alioquin easdem praesentes nullae
sint eo ipso.

Servanda
pro abso-
lutione.

§. 12. Insuper volumus, ut Personae supradic-
tae, si quae propter praemissa absolutione in fo-
ro conscientiae indigeant, poenitentiam, quam eis
Sacerdos idoneus propter eadem praemissa respecti-
ve imposuerit, omnino adimpleant; alioquin ip-
sae praesentes eis quoad absolutionem in foro con-
scientiae huiusmodi minime suffragentur.

Fides trans-
umptorum.

§. 13. Utque earundem praesentium trans-
umptis, seu exemplis, etiam impressis, manu
alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo perso-

nae in Ecclesiastica Dignitate constitutae munitis ead-
em prorsus fides in iudicio, & extra illud habeatur,
quae ipsis praesentibus haberetur, si forent ex-
hibita, vel ostensa. Datum Romae apud Sanctam
Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 9. De-
cembri 1692. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

J. F. Card. Albanus.

Actus obedientiae praestitae in Romana Curia à Pa-
tribus Procuratoribus, seu Deputatis Provincia-
rum Nationis Gallicae dicti Ordinis.

Nos infra scripti Procuratores, seu Deputati Pro-
vinciarum Nationis Gallicae Ordinis Fratrum
Minorum S. Francisci tam de Observantia quam Re-
colectorum respectu nuncupatorum, non solum nomi-
ne proprio, sed etiam nomine omnium, & singulorum
Provincialium, Superiorum, & Personarum utrius-
que sexus dicti Ordinis in eisdem Provinciis, aliisque
quibuscunque Regi Nostro Christianissimo subiectis locis
existentium sincero corde, & pura fide protestamur, &
declaramus, nos paratos, & promptos semper fuisse, &
esse moderno Reverendissimo Patri Ministro Generali
ejusdem Ordinis, ejusque pro tempore Successoribus Mi-
nistris Generalibus canonice eligendis debitam subjectionem,
& obedientiam juxta Regulae Nostrae Seraphicae,
nec non Apostolicarum, & ipsius Ordinis Constitutio-
num praescriptum reddere, & praestare, prout praesen-
tium Litterarum vigore, nomine ut supra reddimus,
& praestamus; Capitulum Generale ejusdem Ordinis
Roma Anno 1688. habitum pro rite, & canonice ce-
lebrato nos habere, eodem pariter nomine declaramus.
Promittentes hujus nostra subjectionis, & obedientiae:
nec non declarationis circa supradictum Capitulum Ge-
nerale à Nobis facta veram, & realem ratificationem
intra terminum quatuor mensium proximorum à Patri-
bus Superioribus Provincialibus dictarum Provincia-
rum Gallicarum, aliisque, ad quos spectabit, obtinere,
nec non quod tam Nos, quam illi, ceterique praedictarum
Provinciarum Fratres, & Moniales in sub-
jectione, & obedientia huiusmodi, sicut premititur,
praestita, sincere in posterum permanebimus, omni, &
quocunque contrario pretextu, colore, & tergiversa-
tione postpositis; Quod si intra dictum terminum ratifi-
cationem praedictam non obtinuerimus, ex nunc, prout
ex tunc, nullitati omnium, & quarumcunque gratia-
rum à S. Sede in praesens obremendarum, nos, Superio-
resque supradictos subicimus, subiectoque esse declara-
mus, Roma hac die octava Decembris Anno 1692.

F. Ludovicus Duval Sacrae facultatis Parisiensis
Doctor Theologus, & Magni Conventus Fra-
trum Minorum Parisiensium Procurator Gene-
ralis, & Discretus.

Fr. Claudius Bonaventura Sicault Doctor in Theo-
logia, Provinciae Turoniae Majoris Exdefinitor,
& Provinciarum Gallicarum de Observantia Pro-
curator.

Fr. Edmundus Godelle Custos Recolectorum Pro-
vinciae S. Antonii in Artestia.

Fr. Salvianus Paquin Guardianus Recolectorum
Rothomagensis.

Indictio Visitationis Apostolicae omnium Ecclesia-
rum, & Locorum piorum Almae Urbis, nec
non Orationis quadraginta horarum, cum In-
dulgentiarum largitione ad implorandam divi-
nam opem pro recta Visitationis huiusmodi di-
rectione.

XXVI.

INNOCENTIUS EPISCOPUS XII.

Dilectis Filiis Universo Clero, & Populo Romano Salu-
tem, & Apostolicam Benedictionem.

ACRUM Universalis Ecclesiae suprema Coe-
lestis Patris familiae praedestinatione curae

Nostrae